



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Examen Confessariorum Repetitum

Schoonaerts, Gregor

Coloniæ Agrippinæ

VD18 14542323-001

Caput VII. De Emptione, & Venditione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41226

Feudum est, Contractus, quo sub onere fidelitatis & obsequii personalis transfertur possessio, & dominium utile rei immobilis, V.G. urbis, agræ &c. retento dominio directo.

Hypotheca est, Contractus, quo res immobilis nudâ conventionem, id est, absque traditione, obligatur creditori pro debito.

CAPUT VII.

De Emptione, & Venditione.

Commercium Belgarum, tum inter se, tum cum exteris Nationibus toto Orbe celeberrimum, amplam nobis suppeditat materiam, sed sicut in aliis tractatibus, ita & in hoc celebriores, & in praxi frequentiores tantum attingemus.

§. I. *Quid Emptio, quid Venditio? &c.*

Emptio est, *Pactio pretii pro merce.* Venditio est, *Pactio mercis pro pretio.* Negotiatio est, *Emptio rei, animo eam alienandi cum lucro, quæ licita est, teste S. Aug. scribente in 1. part. Psal. 70. Simulus fuero, non negotiatio mihi facit, sed iniquitas mea.*

Pretium rerum vendibilium est duplex, aliud *legitimum, vulgare* aliud. Legitimum est, *quod constituitur lege Principis, vel Magistratûs.* Vulgare autem, *quod commune, & prudenti hominum existimatione taxatur, & vocatur pretium fori.*

Pretium vulgare triplex est, *Summum, Medium, Infimum.* Summum est, *ultrâ quod ascendit*

248 TRACTATUS DE CONTRACTIBUS.
*nequit. Infimum, infra quod descendi non potest
emendo. Medium, quod est inter pretium sum-
mum, & infimum.*

Licitum est emere pretio infimo, & vendere summo sine injustitia, quia utrumque pretium justum est.

P. 1. An peccet, qui vendit merces ultra pretium rationabiliter à Principe taxatum?

R. Aff. & quidem contra justitiam. Quemadmodum enim ad Rectores civitatis pertinet, quae sint iuste mensura rerum venalium, pensatis conditionibus locorum, & rerum. Et ideo has mensuras publicè auctoritate constitutas, praeterire non licet. S. Thom. 2. 2. q. 77. a. 2. ad 7. ita ad Principem spectat, vel Magistratum, taxare pretia rerum, ita ut ea praeterire non liceat.

2. An Mercatores, qui habent res nullum habentes determinatum pretium, V.G. gemmas, picturas, &c. possint illas vendere tanti, quanti volunt?

R. Neg. Sed recurrendum ad aestimationem eorum, qui de similibus notitiam habent.

3. An emptor, idem est de venditore in pretio deceptus, possit rescindere contractum?

R. Quando venditor excessit dimidium pretii justii, datur locus rescissioni in foro externo, ut constat ex Cap. *Dilecti*: si autem non excedatur dimidium, nequidem datur actio contra excedentem, ne lites multiplicentur in infinitum.

Quod attinet ad forum conscientiae, semper
et

est obligatio ex parte illius, qui excessit, vel ad rescindendum contractum, vel ad excessum auferendum, licet alter non petat rescissionem, propter inæqualitatem, quæ alioquin manet inter pretium, & rem.

4. An liceat vendere carius creditò, quàm paratâ pecuniâ?

R. *Per se* illicitum id est, si vendatur supra summum pretium, quia carentia pecuniæ non est ex se pretio æstimabilis: licitum tamen est per accidens ratione lucri cessantis, vel damni emergentis: si quis autem ob dilatar. solutionem vendat pretio summo, cum paratâ pecuniâ venderet pretio medio, non peccat contra justitiam, quia vendit pretio absolutè justo, licet caritas id aliquando dissuadeat.

5. An venditor teneatur rei vendendæ defectum emptori incognitum manifestare?

R. Aff. Unde qui sciens rem defectuosam vendidit, tenetur restituere pretium, quod accepit ultrâ valorem, & insuper compensare omnia damna, si quæ emerferint emptori: res enim non potest vendi supra suum valorem, nec emi absque injustitia, propter inæqualitatem, quæ ponitur inter mercem, & pretium.

CASUS XIII.

Mercator privatâ scientiâ novit copiam mercium brevè adfuturam, an tutò pergat communi pretio merces suas divendere?

R. Aff. Quemadmodum enim privata emptoris scientia de raritate mercium futura non auget

pretium, ita nec eadem scientia in venditore diminuit: nè tamen tali casu merces omnes undi vendendas; foret enim contra caritatem.

CASUS XIV.

Joannes emit à Petro Chirographum, seu debitum 100. florenorum, secundum se periculis, & difficultatibus obnoxium inferiori pretio, V. G. 90. 80. &c. juxta proportionem periculi, an licitè?

R. Aff. Quia talia debita communi æstimatione sunt minoris valoris, quàm si solutio foret in se facilis. Resolutio etiam locum habet, etiam si emptori, ob peculiarem industriam, artem &c. solutio supponatur impetratu facilis: quia hoc tribuitur fortunæ ejus, aut industriæ.

CASUS XV.

*Petrus petit 100. aureos mutuos à mercatore, qui renuit mutuare, sed paratus est illi vendere merces credito, sed summo pretio V. G. 105. vel 106. aureis, ut eas vendat pecuniâ numeratâ, cui voluerit: ille emptas offert mercatori, qui easdem emit pecuniâ numeratâ, sed minoris, pretio nimirum medio, vel infimo, V. G. 100. aureis, & ille manet debitor 105. Quando illæ merces revenduntur venditori, vocatur ille contractus ab Hispanis *Moharra*, ab Italis *Stocola*. Queritur, an usurarium?*

R. Aff. Quid enim aliud est mercatorem vendere Petro merces pretio ut 100. solvendas in fine anni, & statim easdem emere pecuniâ paratâ 90. quàm dedisse illi mutuo 90. recipienda in fine anni cum lucro 10. Conveniunt omnes, hunc similemque contractum esse usurarium, si
ani-

Animus usurarius sit, id est, capiendi lucrum ex mutuo sub prætextu & specie venditionis ad paliandum usuram.

CASUS XVI.

Plurimi mercatores, dum confitentur, nihil, aut parùm de usura vitio (idem est de campforibus, tabellariis, mutuatoribus) dicunt: quomodo se debet gerere Confessarius ergà tales?

R. Confessarius debet sibi formare ideam peccatorum, quæ similes homines, & talis conditionis committere solent: quotidianâ enim constat experienciâ, plerôsque habere spiritum avaritiæ &c. de quo tamen non habent conscientiæ remorsum. Proindè interrogandi de qualitate negotiationis, quo animo negotientur, quid lucri ex negotiatione sperent, &c.

CASUS XVII.

Mercator committit proxeneta, sive illi, cui venditio commissa est, certas vendendas merces sub determinato pretio, contingit, quòd proxeneta pluri vendat, queritur, an possit retinere augmentum, quod est ultrà determinatum pretium?

R. Neg. Quia illud auctarium est pretium mercis, & cum merè pariat fructum suo domino, tenetur totum tradere principali venditori, à quo commissionem accepit. Casus etiam frequens est inter famulos, quibus Heri committunt curam emendi triticum, avenam, &c.